

tur uniuersitati nostre wiennen. ex hijs que in facto verisimiliora bucusque audivit et in Iure noscere potuit, Concilium Basilien. nondum esse dissolutum &c. In eandem cum praecedente sententiam, non tamen expresso Autoris nomine, qui concludit: *Ideo omnino videtur, quod difficultates ecclesie tolli non possint ad presens nisi in sacro Basilien. Concilio, cum nec ipsum transferri possit eo nolente, nec aliud queat institui eo existente.* Utrumque Scriptum Mitterndorfero defuisse videtur.

XVII. fol. 154. Tractatus de Emtione, Venditione et usuris initio truncatus et ab his verbis incipiens: *usus ex hoc ipso conceditur res et propter hoc in talibus per mutuum transfertur dominium &c.* Ultima sunt: *Item fraus et dolus nulli patrocinari debent.* Casuum resolutione pro foro Conscientiae potissimum constat.

XVIII. fol. 160. p. 2. De modo predicandi et Colligendi. Initium: *Volens colligere sermones collationes aut tractatus potest obseruare subscriptos speciales octo modos. Primus est dictus diffinicio &c.* Adjumentum istud satis tenue ad calcem descriptum dicitur: *Coloniae ex libraria minorum.*

## DCLXXXIV.

482 Codex chartaceus lat. boh. Sec. XV. Folior. 365. 4. currenti varioque calamo conscriptus Sequentia complectitur: I. Tractatum breuem de Consanguinitate, Affinitate et cognatione Spi-

rituali, hoc initio: *Videndum est de Consanguineitate de qua libro 4<sup>o</sup> decretalium capitulo 14. et primo quid linea dein quid gradus &c.* Autor tacetur.

II. fol. 9. *Vtrum omnis veritas sit paria auctoritatis cum qualibet.* Responsum: *Videtur quod sic. nam omnis veritas, in quantum huiusmodi, est verum dictum &c.* Ad Job. *Wicleffum* pertinere hoc Excerptum docet *επιγραφή: W. de veritate c. 14.* sed non continetur in Tractatu ejus Theologico de *Veritate S. Scripturae*, neque in *Speculo milit. Ecclesiae*, in quo *Veritas* et *Mendacium* colloquantur; itaque ad Tract. logicum de *Veritate et Mendacio*, quem *Baleus* et *Tannerus* citant, referri debebit.

III. fol. 11. Loci Theologici in Alphabetum digesti, quorum primus *Absolutio*, hoc initio: *Dominus noster ihesus christus dixit beato petro &c.* Ultimus *zelus. zelum bonum inflammet caritas &c.* Omnia ad Scholam *Wicleffi* adcommoda, cujus Opera saepius citantur.

IV. fol. 63. Alii Loci Theologici, imprimis Pontificum Rom. *Avr. deo* cum Deo, Praeceptis divinis, et Christo, dein multa de Ecclesia et Sacramentis. Omnia ita in chartam coniecta, ut inde aut Sermonibus ad Populum, aut Disputationibus scholasticis, aut conscribendis etiam Libris servire potuerint. Penus fortasse ipse *Hussi*, aut *Hieronymi Prag.* aut *Petri Anglici*, aut *Jacobelli*, si manus adgnosci quiret.

V.

V. fol. 97. *Positio Magistri Jacobelli de missa pro informatione monachi predicatoris sancti Clementis antiquioris ciuitatis Pragen. A. d. 1417.* In disciplinam Jacobelli se itaque dedit Petrus ille, cuius *Revocationem* videmus Cod. DCCCCLXVIII. N. 5. Positionis, qua tota vi pro *Utraquistis* agitur, initium: *Vtrum communitates fidelium debeant diuisuam eucharistiam sumere sub utraque forma sacramentali tam panis quam vini. Imprimis protestor, quod hic non intendo dicere quod esset contra summum pontificem futurorum bonorum dominum ihesum christum &c.* Propositis dein Adversariorum et ipsius Concilii *Constant.* quod *sacrum* adpellat, rationibus obviare nititur. Ad calcem: *Et hic est finis huius Tractatuli Reuerendi Magistri Jacobelli de Missa pro informatione Monachi Magistri Petri de ordine fratrum (Praed.) sancti Clementis.* Et continuo adhaerent varia de *Eucharistia* Quaesita. Inter alia: *Vtrum Panis remaneat post consecrationem.* Respondetur negative, panem tamen non annihilari, sed transmutari in melius, manentibus ejus Accidentibus.

VI. fol. 109. *Incipit Tractus pro Communionem utriusque speciei quo ad adultos pro audientia Concilij Basiliensis adaptatus Magistri (Joh.) Przibram.* Initium: *Ad honorem domini nostri ihesu christi crucifixi profectumque ecclesie sue sancte &c.* Pertinet ad an. 1437. quo inter Legatos Regni *Basileae* fuit Noster. Duplex vero mi-

hi dubium oritur, primum, an *Tractatus* iste ullibi typis expressus extet, cum ejus notitia prorsus fugerit Editores *Bob. doctae Balbini*, et *Voigtium Vol. I. Aetor. liter. Bob.* dein, an reipsa in Concilio depromptus fuerit; *ro adaptatus* enim in Titulo id incertum reddit. Ad calcem lego: *Finis illuminacionis huius operis feria II. post festum s. sacramenti Anno 1462.* Id, quod de *Rubricatione* sola intelligendum videtur, quae non in impressis tantum Libris, sed etiam in Ms. non raro dilata fuit. A fol. 134. adhaerent *Tractatui* Adnotationes multae ad idem propositum facientes.

VII. fol. 140. p. 2. *Tractatus de Communionem Parvulorum.* Initium: *Inprimis ergo pro fata communionem parvulorum ponendum est fundamentum solidum videlicet saluatoris dictum, quo dicit uniuersaliter omnibus. Nisi manducaveritis carnem filij hominis &c.* *Jacobi de Missa* et *Joh. de Przibram* de eodem Argumento *Tractatus* indicavi Cod. DCCCCLXVIII. quibus *Antiquitatis* sacrae usu nihil cedit iste, et fortasse alterutrius est. An vero et hic aries *Basileensibus* a. 1437. admotus fuerit, nescio. In *Procuratorio*, quod *Coblaeus* L. VIII. p. 306. exhibet, certe iussi sunt Legati scripturas atque auctoritates pro *communionem* Parvulorum proponere. Sed, ut mox idem refert, *petitio* simpliciter est denegata eo, quod *Communionem* Parvulorum per *Compactata* expresse fuerit exclusa.

VIII. fol. 166. p. 2. Rursus incipiunt Adversaria theologica de Communionem duplicis Speciei, de Potestate Papae, de negotio Compactatorum, et aliis Articulis eo tempore controversis, ubi indefessam in vetustis Autoribus excutiendis industriam Bohemorum mireris.

IX. fol. 203. De Ecclesia manuale Magistri Henrici Tokke. Fuit hic Vir Canonicus Magdeburg. in utraque Legatione Basileensium ad Bohemos annis videlicet 1432. et 33. Quaedam ejus relata sunt alibi, ut Index ostendit. Quartum hic ejus Opusculum pro Eminentia Ecclesiae seu Conciliorum generalium super Rom. Pontificem pugnat. Initium est: *In nomine domini nostri ihesu christi. Animadvertant omnes christi fideles praesertim prelati spirituales et seculares, Reges ac principes lamentabilem ecclesiae lapsum, sordidum filiorum eius in peccatis volutabrum &c. Non esse remedium aliud, quam generale Concilium; afferere tamen aliquos: prime sedis episcopum esse super Concilium generale, licet veritas contraria Constantiae et Basileae definita sit. Hanc se quoque VIII. Capitibus stabiliturum. In primo capitulo dicta veritas ostendetur ex evangelio. In 2°. ex verbis et factis apostolorum et universalium conciliorum. In 3°. ex approbatione Romanorum pontificum. In 4°. ex testimonio sacrorum Canonum. In 5°. ex concordia Doctorum. In 6°. ex dictis eliciam unum Corollarium. In 7°. per rationes probabo propo-*

*situm. In octavo ad objecta respondebo. Atque his praestitis Ecclesiae supra Papam eminentiam 10. Propositionibus includit. Manuale hoc scriptum fuisse post diffidia Eugenium inter Patresque increbrescentia, facile mihi persuadeo.*

X. fol. 217. Resumuntur Adversaria theologica maxime de Sacramentis et pro Communionem sub Utraque.

XI. fol. 293. Incipit Tractatus Compilatus per Magistrum Johannem de Rokyzano contra sex propositiones friuolas ipsorum doctorum Apostatarum. Initium: *Quia prima Johannis 5. scriptum est. Si testimonium hominum accipimus &c. Notus est Congressus Rokyzanae et Sacerdotum Catholicorum Pragae 1465. coram Rege Georgio et Proceribus per dies 5. celebratus. Acta ejus inserta sunt ab Henr. Canisio T. III. Antiqu. Leß. P. 2. edit. Basnag. T. IV. p. 753. et novis Cl. Adalphi Voigtii p. m. curis lucem videre Pragae 1775. 8. Partibus, ut ejusmodi Concertationum exitus esse solet, utrinque sibi victoriam tribuentibus, Scriptum hoc publicavit Rokyzana, cujus excerpenti labore me levat laudatus Voigtius Aß. Liter. Bob. et Morav. Vol. II. in Vita Hilarii Litomericensis Archiepiscopatus Prag. Administratoris, qui cum Wenceslao Krzizanowio in eo congressu Catholicos inter plurimum eminuit, et deinceps praesenti Rokyzanae Scripto aliud titulo contra Perfidiarum aliquorum Bohemorum opposuit, quod editum habetur*

betur *Argentinae* 1485. 4. Ad igitur, si lubet, memorata *Asa*. anno methodus. Videas enim minio: *Anno domini* — *An ille de labore finito laetus in cantum erupit? Tot certe sunt No* — *tae muficae, quot Numeri Romani ad exprimendum annum 1466. aut 1469 &c. requiruntur.*

XII. fol. 309. Rationes collectae ad stabiliendam Communionem Parvulorum.

XIII. fol. 321. *Traſtatus de Communione Parvulorum*. Initium: *Cum ſecundum Apoſtolum, Nemo eſt qui aliud fundamentum poſſit ponere quam quod chriſtus ihelus &c.*

XIV. fol. 333. *Ladislai Poſt- humi Bob.* Regis Ediſtum de ſervandis *Compactatis Baſilienſibus* ſermone *Bobemico*. Incipit: *Wegmeno pana naſſebo geziſſe kryſta v krzizowanebo — My ladſlaw kral Czeſky. s Vrozenym panem Girzikem z Cunſtatu naſſym wiernym zprawczy kralowſtwie naſſebo Czeſkebo nam milym &c.* Datum intra an. 1453 — 57. Exemplum noſtrum primum ipſius *Ediſti* in chartam conjeſti rudimentum fuiſſe videtur, ita diverſimode reſcriptum et ſubpletum eſt. *Ediſtum* ipſum, neſcio, an ullibi vulgatum ſit.

XV. fol. 342. *Executoria Legatorum Concilii Baſileenſis* ſuper *Compactatis* ſignata *Iglaviae* in *Moravia* 5. Jul. 1436. ſermone *Bobemico*. Initium: *Wegmeno Pana naſſebo geziſſe kryſta — My ſilberth &c. Swatebo z boru legatorowe &c.* Exhibetur a *Cochlaeo L. VIII. Hiſt. Huſſ.* p. 289. et a *Balbino Miſcell. Hiſt. Dec. I. L. 6. P. 1. p. 175.* ſermone latino.

XVI. fol. 346. p. 2. *Ratificatio Compactatorum ſub bulla Concilij, cum variis Animadverſionibus. Eugenii Bulla ad Bobemos data Bononiae 1436. Excerpta Compactatorum de Communione ſub Utraque lat. et bob. Notae Chronologicae de Conciliis Baſil. et Conſtant. Satira rhythmica inſcripta dolium mundi. Varia ab Imperatore Sigismundo Statuta circa negotium Religionis lingua bobemica. Obligatio Regis Ladislai circa idem lingua eadem. Reſponſa data Legatis Bobemorum in Concilio Baſil. miſſis illuc ab Imperatore ante mortem eius Anno 1437. circa natiuitatem domini. Bulla de Concilio Baſilien. de ſervando Iudice in Egra compactato data Anno 1437. et ſubſcripta manu Juliani, Card. Bulla Eugenii pape de translatione concilij Baſ. in ferrariam ſalvis tamen compactatis inter Bobemos et Concilium ſancitis. Copia mandati pro obedientia ſub ſigillo regni dati dominis legatis Iglaviae. 1436. Articuli in forma ſalui conductus concludi inter Ambaſiatores Concilii Baſil. et Oratores Bob. 1432. die 18. Maij in Opido Egrenſi, cum deſcriptione Sigilli Imperatoris, Ambaſiatorum, et Concilii. Decretum factum Baſileae poſt Compactata. 1437. Notata quaedam de Coronatione Regis. Epistoſta Baſileenſium*

2627

C O D. C A S U I S T.

2628

*sum ad Sigismundum Imp. 1437. et alia Minutiora nullo Rerum aut Temporum servato ordine, carattere perdifficili exarata et partim jam a Cochlaeo praeoccupata.*

DCLXXXV.

339 Codex chartaceus ital. recens, sub hujus Seculi ingressum, ut videtur, scriptus, Folior. 49. f. eruditam continet *Dissertationem pro licito Usu Sententiae minus probabilis relicta probabilioris*. Scripta est per modum Epistolae ad Canonicum *Laëtantium Vajanum*, et sic ingreditur: *Che l'opporfi alla baldanza di quei Casisti, i quali amano di portare alla Gente dottrine larghe, sia cosa da commendarsi infinitamente, V. S. Illma può tenere fra se per indubitato, che io ben l'intendo. Ma che la uia di raffrenare la licenza Loro sia questa, di screditare, dannare, mandare in bando dalla Repubblica tutta dei Letterati quella Sentenza,*

*Defendi possent, etiam hac defensa fuissent.*

*Finit ille adlato contra Modernorum Doctorum Contemptores ex Op. imperf. in Matth. Hom. 45. loco: Così faceano appunto i Giudei superbi. Esaltavano i Profeti*

*la quale sostiene, che di due opinioni sicuramente probabili quella ancora si possa talor seguire, che all'operante non appare tanto probabile, quanto l'altra, non solo io non l'intendo, ma dico di tutto l'animo, l'ho per un torto enormissimo fatto al uero. Sarebbe questo un remedio, non pure improporzionato, ma, se non erro, ancora peggior del male. Onde V. S. Illma si contenti, che io su questi due punti, come sopra due cardini sicuriissimi, regga tutta quella risposta non così breue, ch'ella desidera, al questo particolare, che mi ha trasmesso, prima che da questo io mi faccia la strada al più generale. Rationum et autoritatum momenta, quae per decursum adfert, recrudescente ante Seculi medium Jesuitas inter et Praedicatoris hac controversia, penitius excussa sunt. Nihil tamen minus Nostrum legenti subit Virgilianum illud: Si Pergama dextra*

*del tempo andato, lapidavano i Coetanei. Fuisse illum Benedictum Gentilotum ab an. 1706. ad an. 1723. Bibliothecae Aug. Praefectum, adfirmare non auzim.*

CODI.